



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 20. De vi veritatis. Ciceronis sententia ex Æschine. Liuij loci duo
emendati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

De vi veritatis Ciceronis sententia ex Æschino.
Liiij loci duo emendati.

CAPVT XX.

EMERGERE tandem & existere veritatem, & que vllis vniuersis machinis ita premi, vt opprimatur, multi grauesque auctores sæpe dixerunt: Cicerone inter ceteros, qui cum hanc grauissimam & dignitatis plenissimam sententiam ponere in Cælii defensione vellet, ex Æschino eam propè interpretatus est. O magna, inquit, vis veritatis, qua contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contrarij, fides inanium insidias facile se per se ipsa defendat. Æschinus autem ἐν τῷ κτ' Τιμάρχου. Οὗτος ἰσχυρὸν ὄν, ἢ ἀληθεία, ὡς πάντων ἀπαιεῖν τὴν ἀδραστῶν λογισμῶν. Etiam apud Lium Q. Fabius Maximus idem dicit, in illo pulcherrimo sermone, quem habuit cum L. Paullo aduersus Annibalem proficiscente. Sed locus ita deprauatus circumfertur, vt intelligi non queat, ita enim legitur: *A veritate laborare nimis ius aiunt: extingui numquam.* Sed vocem ius, in veteribus libris non legi, admonuerunt etiam alij. Mihi, cum eum locum accuratè legerem, incidit suspensio, ut corrigendum esse: *Veritatem laborare nimis sæpe, aiunt extingui numquam.* Id igitur in libri mei margine adscripseram, addita ea nota, qua coniecturas meas distinguere soleo ab iis mutationibus, quas vetustis libris auctoribus facio. Sed cum postea διὰ ἔργου accidisset mihi, vt eum ipsum locum inspicerem; visum est, librum quoque veterem, quem habeo, consulere; & quid is fortè meam coniecturam adiuuaret. Repperi autem plus etiam, quàm volueram, etenim ne vna quidem littera plus minúsve habebat, quàm vt ego diuinaram.

distinaram. sed ea inspectio iter mihi aperuit ad tollendum ex eo loco mendam alteram. nam quod statim subiicit Fabius: *Gloriam qui spreuerit, veram habebit*: vix verum videtur, ita simpliciter, & sine vlla adiectione prolaturum. quid enim? ἀφιλότιμον ἦδ', laudi ne datur, an in vitio ponitur? quam multi gloriam spernant ignavi & nulli pretij homines! Cum igitur in meo libro legatur, *Gloriam quam qui spreuerit, veram habebit*: conicio legendum, *Gloriam vanam qui spreuerit, veram habebit*. sic enim & verior erit sententia, & illa contrariorum relatione ornator, & melius cohererebit cum eo quod paulo supra dixerat Fabius: *Resistes autem aduersus famam rumoreisque hominum si satis firmus fueris: si te neque collega vana gloria, neque tua falsa infamia mouerit*. quam facile verò librarius in eo labi poterit, cum quis facile videat, λεπτολογεῖν non est meum.

Mulieres eruditas plerumque libidinosas esse, duorum poetarum testimoniis confirmatum. Iuuenalis locus cum quodam Platonis collatus.

CAP. XXI.

VAFFERRIMVS poëta, qui que omnia suæ tempestatis hominum vitia & nouerat optimè, & infectabatur liberrimè, Iuuenalis, in ea satyra, qua mulierum improbitatem detexit, non obscure significauit, displicere sibi mulieres eruditas, & disertas.

Non habeat, inquit, matrona, tibi qua iuncta recumbit,

Dicendi genus, aut curtum sermone rotato

Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

Euripides quoque, magnus & ipse mulierum osor, est dictus est à quodam eas odisse in choro, amare in choro, eiusdem sententiæ fuit. putauit enim, id quod res est,

Mulieres
lectio
LII
25